

pronunciaui, esse omnium ponderosissimas, atque adeo ipsam illam sententiam praeferrī duabus reliquis debere; ita, vt nunc quidem affirmare non dubitem, vix vnum, alterumue, illorum carminum quinque, et quinquaginta, quae ab Henr. Stephano, adolescente,<sup>6</sup> primum euulgata sunt, Anacreontem auctorem habere.

Etsi enim non ignoramus, quam parum fidei habendum sit orationi Stephani tum, quum loquitur de codicibus calamo scriptis, quos in edendis scriptorum veterum libris adhibuerit; quippe quem constet fere gloriari consueuisse, se in illis recensendis, atque emendandis, adiutum esse eorum codicum copiis, quos ipse nunquam vidisset; qua de vanitate viri, et leuitate, quam facile appareat profectam esse ab incredibili quadam inuidia, quae laudes aliorum, et merita in hoc literarum genus, Germanorum in primis, animo ferre aequo non posset, grauissime quidem nuper nosmet ipsi, sed etiam verissime, conquesti sumus in praefationibus, cum ad Platonis dialogos quatuor primos, tum ad characteras Theophrasti ethicos: tamen non dubitandum putamus, quin codices illi duo, e quibus a se edita esse haec carmina Stephanus ait, boni fuerint, certe antiqui; praesertim quum haec ipsa odaria propemodum omnia, sed alio tamen ordine collocata, extent in eo codice, qui e bibliotheca Palatina in Vaticanam venit, et quem Doruillius,<sup>7</sup> aliique iudices idonei, vno ore confiten-

tur

6. Stephanus dissert. de criticis vett. Graecis, et Latinis, p. 94. Inter quorum testimonia omittendum non est hoc illius, quem mihi veteris Graecorum lyrae studiosi debent, Ταύρι δὲ, καὶ μὲ τῦπτεῖ Μέσσοῦ ἠπᾶρ, ὡπᾶρ ὀλῆγοσ, id est, loquitur autem de Cupidine, Statimque tendit illum, Ferit et mihi sagitta Medium iecur, quasi oe-

strum: vt quidem in adolescentia sum interpretatus, eodem, quo et Graecos versiculos edidi, tempore.

7. Van. crit. p. 7. Obtuleram quoque [Pauo] collationem eiusdem poetae [Anacreontis], a me ad antiquissimam, et fere vnicam, membranam Vaticanam institutam. Obseruatt. miscell. Belgg. p. 364. vol.